

Ad v. c. Segimerum Doepp de loco quodam Quintiliano epistula

Scrpsit ANDREAS PATZER Monacensis

Tomo LXI ephemeridis, quae Glotta inscribitur, p. CCXXVIII sqq. demonstravisti, amice doctissime, apud Quintilianum Institutionis oratoriae libro XII capite decimo paragrapho XXI textum per codices manu scriptos perperam traditum esse. Dicit hoc loco Quintilianus de Atticorum genere vituperatque eos, qui solos Atticos esse credunt frugalitate quadam dicendi contentos: *Nam quis erit hic Atticus? Sit Lysias; hunc enim amplectuntur amatores istius nominis modum.* Qua ex sententia verbum *modum* excludendum esse recte censuisti. Nullo enim modo illud verbum cum pronomine *hunc*, quod praecedit, coniungi potest, ita ut pure et Latine procedat sermo. Si enim pronomine illo pro adiectivo uti velimus, traiectio efficitur maxima, quae hoc loco, cum sit totus Annaeana quadam brevitate atque vigore compositus, tolerari non potest; sin pronomen substantivi loco positum esse credimus, verbum modi tamquam exemplum vel normam hominis intellegere cogimur. Quod fieri non posse Ciceronis Filastriique locis, quos afferunt commentatores et lexicographi, tractatis luculenter exposuisti. Addere autem possis argumentum alterum, quo quod ostendisti, confirmari potest. Extant enim in litteris Latinis quattuor tantum loci, ubi auctores verbum amplectendi cum binis accusativis coniunxerunt. Cicero quartae in Catilinam orationis capite secundo paragrapho tertia: . . . *parvulus filius, quem mihi videtur amplecti res publica tamquam obsidem consulatus mei* . . . Celsus librorum, qui sunt de medicina, praefationis paragrapho XXVII: *Contra ii, qui se Empiricos ab experientia nominant, evidentes causas ut necessarias amplectuntur.* Ammianus Rerum gestarum libro XVIII capite quinto paragrapho quarta: . . . *auctore et incitatore coetu spadonum, qui feri et acidi semper carentesque necessitudinibus ceteris divitias solas ut filiolas iucundissimas amplectuntur.* Augustinus Confessionum libro primo capite quinto paragrapho quinta: *Quis dabit mihi, ut venias in cor meum et inebries illud, ut obliviscar mala mea et unum bonum meum amplectar, te?* Quos locos si percensueris, intelleges Augustinum accusativo adiecto pro appositione, Ciceronem Celsum Ammianum coniunctionibus *tamquam* vel *ut* adhibitis tralate usos esse. Sequitur, ut nemo umquam auctor Latinus verbum amplectendi cum duplici,

qui vocatur, accusativo coniunxerit, nedum Quintilianus, puri ille et Tulliani sermonis admirator et imitator. Qua re cognita dixerit fortasse quispiam apud Quintilianum verbum *modum* aut appositionis loco habendum aut cum aliqua, quae exciderit e libris nostris, coniunctione comparativa coniungendum esse. Quod utrumque haud veri simile esse demonstrant omnes, quos attuli, auctores, siquidem apud omnes verbum amplectendi artissime cum appositione vel translatione cohaeret eademque vel persona vel adiectivo expressa sunt. At apud Quintilianum contra traiectionis est maxima alterque accusativus quamquam appellative, tamen non persona, sed re exprimitur, ita ut nequaquam Latine, nedum pure fluat oratio, nisi verbum istud, quod exhibent codices, eiciatur. Quo autem modo corruptela extiterit, utrum verba *modus Lysiacus* a scriptore quodam vel lectore in margine posita incorruptum in textum fluxerint, an aliter se habeat res, paulum interest, siquidem, quo modo locus ille Quintilianus interpretandus sit, didicimus abs te. Vale.